

## 4. Bibliographie der Schriften

### In: VIRO ILLUSTRISSIMO HUMANISSIMO FRIDERICO AUGUSTO ECKSTEIN PHILOSOPHIAE DOCTORI SCHOLAE THOMANAЕ LIPSIENSIS RECTORI UNIVERSITATIS LITTERARUM ...

August Hermann Francke's Project zu einem SEMINARIO UNIVERSALI oder Anlegung eines Pflanz=Gartens, in welchem man eine reale Verbesserung in allen Ständen in und außerhalb Deutschlands, ja in Europa ...

**Francke, August Hermann**

**1881**

Vorwort

---

#### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

#### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Dei Optimi Maximi, RECTOR AC PRAECEPTOR SINGULARIS ET LAUDIBUS NOSTRIS MAIOR, beneficio Tibi contigit, ut eum festum diem, quo abhinc quinquaginta annos in schola Latina Halensi praceptoris munus suscepisti, agas neque corporis robore destitutus et animi viribus integer. Quem diem laetissimum Tecum celebrare homines non unius aetatis, non unius ordinis nemo miratur, qui, ad quam multos amor Tuus studiumque semper redundaverint, sit haud ignarus. Ecce domus Tua plenissima gratulantum cohorte. Adsunt liberi, gener, nepotes, propinqui, qui intimo amore Te semper prosequi soliti, ut columen gentis praesidiumque per multos annos valeas, a Deo precantur; adest vir summus et praeclarissimus, qui insigni prudentia Saxoniae gymnasia moderatur, ut Te scholae Thomanae cura de re publica optime meritum debitibus laudibus ornet; adsunt professores universitatis Lipsiensis atque homines rerum antiquarum litterarumque peritisimi, qui, quantum Tuo beneficio habeant, grata memoria retinentes hodie libenter profitentur; adsunt scholae Thomanae professores magistri, qui Te ducem libentissimis animis secuti Tuis auspicis veterem illustrissimae scholae gloriam et obtinent et augent, quorum delectatio nunc quidem plena est maestitiae, quod tempus, ut dicunt, mox adest, quo fasces depones; adest Lipsiensem multorum corona, vel qui ipsi Tua disciplina sunt usi, vel quorum pueri a Te sunt instituti; adsunt oratores a latomis missi, quorum societatum Saxoniarum Tu es Magister Maximus.

Sed quamvis multis de causis homines Te hodie adeant gratulatum, imprimis est huius temporis, Te laudibus efferre PRAECEPTOREM. Etenim talem praceptorum Te semper praestitisti, cuius virtutes aequiperare possint perquam pauci, superare nemo.

Nam si cuiusquam, Tui certe sunt propria haec duo, quae imprimis omnium praceptorum esse voluit praceptor Germaniae, is, cuius vestigiis venerabundus semper institisse videris, FRIDERICUS AUGUSTUS WOLFIUS: Tu ut ingenio abundas ipse, ita ingenii Tui aliquid discipulis impertire vel maxime scis. Infinita igitur est multitudo eorum, in quorum mentibus Tuarum scholarum semper infixa erit memoria. Nam sive Horatii carmina Ciceronisque libros interpretabar, sive mentes cogitationesque, quibus res publicae moresque Graecorum Romanorumque constabant, dicendo adumbrabas, sive discipuli ex doctrinae Tuae prudentiaeque copia, quae exhaustiri non potest, fructus percipiebant uberrimos, semper insigni nitore dicendi et venustate, qua maxime vales et humilitate studioque, quibus omnes Tuos discipulos amplecteris, non modo eos multarum rerum cognitione implevisti, verum etiam quasi aculeos in mentibus eorum reliquisti, ut in animis eorum etiam regnes, postquam e scholae disciplina sunt egressi. Sed non puorum vel adolescentulorum modo et fuisti et es praceptor optimus, verum etiam adolescentes et scholis academicis et seminarii paedagogici, quod summa cum laude moderaris, exercitationibus instituisti plurimos, quibus multorum gymnasiorum cathedras ornaveris. Quin etiam natu majoribus multis alacritatem et attulisti et auxisti mirum quantum cum libris acute arguteque confectis tum sermonibus Tuis commercioque. Tu enim vera cum gloria de Te praedicare potes, id quod nemini licet, Tuae vocis suavitatem et gravitatem philologis omnibus fere Germanicis esse bene notam, quod plurimarum rerum cognitione, facetiarum salisque copia, eloquendi facultate insigni, disceptandi altercandique sollertia summa adjutus philologorum Germaniae conventus saepissime tamquam gubernator vel princeps rexisti. Denique Tu illo de docendo Latino sermone commentario omnibus numeris absolute, quem nuper edidisti, peritiam eius rei Tuam esse ostendisti summam et, quod Latine sic loqueris, nullam ut nosse aliam linguam videaris, omnibus studio Latinarum litterarum deditis egregium exemplar ad imitandum proposuisti.

At civis es Lipsiensis, Lipsiensibus Tuarum virtutum laudes cur non permittimus? Cur nos potissimum huius diei sollemnia optimis ominibus prosequi non dedecet? Vita Tua, quae fuerit ante eum diem, cuius memoria hodie redintegrata delectamur, quae post eum diem, si nobiscum reputamus, jure ac merito dicere possumus: Tu noster es. Neque enim Lipsia Te aluit aut erudivit, sed summis laudibus jam florentem exceptit. Halis Tu natus, in Halensi orphanotropheo educatus et in schola Latina eruditus, in Halensi alma matre Fridericiana sacris literarum initiatus es. Quorum beneficiorum, quae accepisti, adeo non oblitus es, ut contra in gratia cum Halis tum aedibus Franckianis referenda longe maximam, et, si fas est dicere, optimam vitae partem consumpsieris. Tredecim enim fere per annos in schola Latina et in Paedagogio praceptoris munere functus es, tres et viginti annos cum rebus institutorum omnium Franckianorum administrandis rectoris et socius et vicarius studiose operam dedisti, tum scholae Latinae tam prudenter et prospere praefuisti, ut eius Lapis quasi Angularis optimo jure vocareris. Illis annis duo milia quingentos nonaginta quatuor pueros in numerum discipulorum recepisti, quingentos octoginta quinque adulescentulos testimonio maturitatis instructos dimisisti. Omnibus discipulis in tantis deliciis fuisti, ut Te non modo nominarint, verum etiam habuerint patrem. Neque civitas Halensis opera Tua carebat, sed, quamquam muneris officiis difficillimis maximisque distineri impedirique solebas, nullam tamen provinciam a civibus Tibi delatam detrectabas. Berolinum enim ab iis Te mitti passus es, ubi consiliis de rei publicae universae salute instituendis interesses, urbanis rebus procurandis non deeras, in annalibus componendis Halensibus multum studii collocabas, omnibus denique rebus huius civitatis ita implicatus esse videbaris, ut ab iis distrahi non posses.

At Lipsiam Te dimitti necesse fuit. Halas reliquisti, Halensium amorem non item. Nam quicunque Halenses Te adibant, iis prompto animo subveniebas atque eorum studia enixe adjuvabas;

omnes civitatis Halensis res summo studio amplecti numquam desistebas. Quid? quod ex collegio scholae Latinae non paucilibenter ea tempora recordantur, quibus Tuae voluntati sapientiaeque paruerunt, alii aut hac in schola aut in academia Lipsiensi Tua doctrina usi Te ducem et principem studiorum nostrorum colimus?

Neque metuimus, ne fausta nostra omina fastidias neve hunc libellum, quem pietatis nostrae testimonium esse voluimus, spernas. Nam Tu cum Natalicia Augusti Hermanni Franckii post duo saecula a MDCCCLXIII publice celebranda indiceres, Franckii epistolam ad Matherum Bostonensem scriptam edidisti, in qua Franckii narratio de orphanotrophei Glauchensis institutis accurata inest. In qua epistula Franckius, quamquam omnium scholarum institutorumque mentionem fecit, non commemoravit illud SEMINARIUM UNIVERSALE vel NATIONUM, quod cum scholis orphanotrophei conjungere in animo habuit. Itaque Franckii commentarium de illius seminarii nationum compositum Tui libelli quasi supplementum edere huius diei sollemnibus nobis visum est non indignum. Quam viam eo libentius ingressi sumus, quod Franckius, si illud seminarium instituisset, eas aedes, quae seminarium praceptorum semper habitae sunt, et ex quibus Tu praceptor illustrissimus prodiisti, absolvisset et perfecisset. Hoc igitur munus Tibi, cuius ipsius scholae quasi praeclarissimum permultorum praceptorum seminarium fuerint, non injucundum fore speramus.

Nunc autem quoniam in otium Te conferre Tibi in animo est, quod otium septuagenarii hominis, cum ingenium Tuum in multis discipulis vigere gloriari possis, tot tantisque laboribus strenue ac prospere peractis honestissimum esse nemo negat, ex animis precamur Summum Omnium Rerum Moderatorem, ut Tibi multorum annorum otium et utendum et fruendum tribuat.